

V.

Altius haec repetunt, reputantque secum, quotquot bonis sacrisque literis operantur, nimiumque arctari aliquando nolunt. Annos, nunquam redituros, diesque ita mature rectis, ac salutaribus doctrinis, sub idoneis Doctoribus, distinguunt, ne praeteritos aliquando stolide reposcant. Attendunt, ex monito Paulino, inprimis τῆ ἀναγνώσει, quam recte HVLSEMANNVS per *recognitio- nem ac redintelligence* exponit; *Method. Stud. Theol. p. 282.* Ἀναγνώσει, cum παρακλήσει & διδασκαλίᾳ, quod viva inprimis probi Doctoris voce fit, coniunctae; 1. Tim. IV. 13. Ἀναγνώσει, quae simul ἀκρόασι, per *sensum auditus*, auctore iterum HVLSEMANNO, comprehendit. *l. c. p. 283.* Praestat, *aliena verecunde discere, quam sua impudenter ingere- re*, ut HIERONYMVVS Paulinum, & paucis interiectis, denuo docet: *Intelligas, te in scripturis sanctis, sine praevio & monstrante, semitam non posse ingredi.* HIERONYMI OO. T. III. Ep. ad Paulinum, p. 5. a. B. p. 6. a. D.

VI.

Fuit haec gloria Vitembergae, eritque in posterum, vias ibi doceri Domini rerum sacrarum cupidos posse, novisque novae veritatis praeconibus eam facile carere posse. Quare & tanto in pretio Summis subinde fuit, quantis & odiis, & maledicis verbis a moleste sedulis impetita saepissime fuit. MAVRITIVS, Princeps Elector, memoria sempiterna dignus, dicere solebat: *Mit meinem Willen muß mir die Vniversitaet Wittenberg nicht untergehen, sie hat die Vnkosten nur mitt dem verdienet, daß die teutsche Bibel in selbigem ist ausgearbeitet worden.* Consil. Vitemb. P. I. f. 9. Vid. Meinhardi Praef. ad Bibl. Sonderhus. 1716. H. 3. a. Petra haec DEI sancta nondum, per eius gratiam, ἔρημος, E adeo-